



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Disputatio XVI. De Vatu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

Obiicies quarto: non sequeretur contradictio in illo casu, quia non competere ipsi formæ contrariæ secundum eundem locum, sed secundum diuersa.

Respondeo negando sequelam, quia illud idem, secundum quod contradictoria nequeunt eidem conuenire, est idem subiecti, & non idem loci: in casu autem nostro esset idem subiectum, & diuersitas loci nihil facit ad rem.



DISPUTATIO XVI.

DE VACUO.



UPERIORI disputatione ostensum est quomodo corpora replere possint loca, nunc agendum est de Vacuo, quod inuoluit quid oppositum huic repletioni.

QVÆSTIO I.

Quid sit, & an dari possit Vacuum.

Quid vacuum in terminatum. **D**Vplex communiter assignari solet vacuum: vnum improprie dictum, quod interminatum vocant, & est spatium imaginariū, non cōtēntum intra aliquod corpus vel superficiē corporis, in quo tamen posset produci corpus, & tale vacuum est, quod imaginamur esse extra totum vniuersum. Alterum est vacuum propriē dictū, de quo hic principaliter agimus, quod vocatur terminatū, & describitur esse locus seu superficies non repleta corpore quantitativo, apta tamen repleti, & tale esset in schola, si parietes eius distarent à se inuicem sicut modo, nec aer aut aliud aliquod corpus esset intra illas, & intra concauum lunæ, si omnia inferiora corpora distruerentur aut annihilarentur. Dixi autem corpore quantitativo, quia si in huiusmodi spatio essent substantiæ spirituales, aut corpora non quantitativa, adhuc esset vacuum, propterea hic agitur de vacuo; & si esset plenum quantitate absque vlla substantia, non esset vacuum: unde superficies continens species Eucharisticas non est vacua, quamvis non contineat intra se substantiam quantitativē extensam.

Quid terminatum.

2 Per hoc patet ad primam partem quæstionis, in qua nulla est controuersia vilius momenti. In secunda vero parte varij sunt Auctores.

Prima sententia est, nec naturaliter, nec supernaturaliter posse dari vacuum huiusmodi terminatum. Ita *Vulpes 1. part. disp. 18. art. 3. num. 6. post Bannem ibidem quæst. 8. art. 2.*

Secunda sententia est non posse Vacuum dari vlla virtute creata, posse tamen Diuina & extraordinaria. Hanc tenent *Combric. Complutenjes, Ruuius & Fuentes, Arriaga, & alij* hic.

Tertia sententia est, non solum Diuina virtute, sed etiā creata posse dari vacuum, si considerentur creaturæ secundum vires suas, & non vt substant Diuino decreto ac prouidentia ordinanti de facto, vt non detur vacuum, quamuis, vt subsunt tali decreto, non possint procurare vacuum.

CONCLUSIO I.

Potest dari vacuum in terminatum.

3 *Potest supernaturaliter dari vacuum.* Hæc est communissima cum *Doctore in 4. dist. 43. q. 5. & quodl. 11. art. 2.* contra primam sententiam, quam miror *Vulpem* tenere.

Confirmatur manifeste: nihil impedit, quo minus Deus omnes Creaturas sublunares annihilaret & conseruaret Cælis, propterea de facto sunt: nec enim conseruatio Calorum habet vllam dependentiam à conseruatione sublunarium, vt manifestum est: sed in tali casu daretur vacuum intra concauum Lunæ: ergo potest dari vacuum supernaturaliter.

Confirmatur: quia nulla potest assignari implicantia in hoc, quod Deus, vel annihilaret, vel expelleret totum aërem in schola contentum, non permittendo aliud corpus succedere ipsi: sed tum daretur vacuum: ergo potest dari vacuum.

Confirmatur secundo, quia difficile est ostendere rationem à priori, cur naturaliter non possit dari vacuum, nec est adeo euidenter certum, quin de facto detur in Cælis, vt de eo aliqui non dubitauerunt: ergo non est negandum Diuinæ omnipotentiae.

4 *Obiicies primo,* corpus locatum, & repletium loci est, quod facit formaliter latera corporis continentis distare: ergo nequeunt esse distantia absque corpore replente, & consequenter nequit dari vacuum, quia deberet esse superficies habens latera distantia. Probatur prima consequentia: quia effectus formalis nequit suppleri à Deo: ergo nequit Deus facere vt distent latera continentia, absque corpore replente.

Respondeo negando antecedens, ipsamet enim distantia est, quæ formaliter facit latera illa distare, & corpus replens solum effectiue facit illa distare, vel quatenus producit illam distantiam, vel quatenus dat occasionem, vt aliud agens illam producat: quod si etiam formaliter hoc faceret, non nisi per modum effectus secundarij: effectus autem formalis secundarius potest produci absque causa, cuius est effectus, vt patet in nigredine, quæ potest expelli absque albedine, quia albedo non expellit illam formaliter, nisi per modum effectus secundarij.

5 *Obiicies secundo:* vacuum est contra ordinem vniuersi, qui est representatio Diuinæ bonitatis, & sapientiae Diuinæ: ergo est quid inordinatum, ac contra representationem diuinæ bonitatis, ac Diuinam artem; ergo nequit à Deo causari.

Respondeo distinguendo antecedens: contra ordinem de facto statutum, transeat: contra ordinem omnem possibilem, quem posset habere, nego antecedens, & similiter distinguo consequens: quid inordinatum, hoc est contra ordinem de facto institutum, concedo: inordinatum, id est contra ordinem aliū possibilem, nego consequentiam quoad primam partem: distinguo etiam idem consequens quoad secundam partem: contra illam representationem diuinæ bonitatis, quæ de facto est, concedo: contra omnem representationem eius, nego consequentiam pro illa parte, & absolute nego secundam consequentiam.

6 *Obiicies tertio:* ex discontinuatione partium hominis destruitur homo: ergo ex discontinuatione partium vniuersi destruitur vniuersum: sed discontinuarentur partes eius, si daretur vacuum: ergo nequit dari vacuum remanente vniuerso.

Respondeo primo distinguendo vltimum consequens: remanente vniuerso secundum esse totale quale de facto habet, transeat: secundum partes eius, nego consequentiam. Sicut enim ex discontinuatione partium hominis, licet destruat homo, non tamen destruantur partes eius, sic nec ex discontinuatione partium vniuersi destrui debent partes eius, licet ipsummet destrueretur: nec ad nostram conclusionem necessarium est quod possit dari vacuum manente vniuerso, sed sufficit, quod possit dari quomodocumque.

Respondeo secundo negando subsumptum, quia quamuis aër expelleretur ex schola, nullo alio corpore accedente, partes vniuersi essent continuæ mediate vel immediate, vt patet, quia parietes continuarentur inter se, & cum aëre, & aliis corporibus vniuersi extra se positis.

7 *Obiicies quarto,* Latera illa essent & non essent distantia: essent quidem, vt supponitur, non essent autem, quia nihil mediaret inter illa.

Respondeo negando sequelā pro secunda parte, ad cuius probationem dico, posse distare illa absque aliquo medio positio interiacente, modo sic se habeant, vt absque recessu à loco suo possit poni medium positum inter illa.

Obiicies quinto, sequeretur quod daretur locus, & non daretur; daretur quidem, quia vacuum dicitur esse locus non repletus corpore: non esset autem, quia locus formaliter dicit respectum ad locatum, tum autē nihil esset locatum in illo loco: ergo non esset locus.

Respondeo distinguendo sequelā: sequeretur, quod daretur locus fundamentaliter, id est superficies apta fundare respectum, à quo constituitur formaliter in esse loci, & non daretur talis locus, nego sequelam: aut sequeretur quod

A a a daretur

daretur & non daretur locus formaliter, id est superficies actu continens aliud, nego etiam sequelam: sequeretur quod daretur locus fundamentaliter; & non daretur formaliter, concedo sequelam; nec hoc est inconueniens aut contra nos.

CONCLUSIO II.

Non potest dari vacuum naturaliter, nec quidem virtute angelica; & hoc oritur ex defectu virtutis propriae in creaturis, & non tantum ex decreto extrinseco Dei. Hac quoad primam partem est communis, & quoad secundam est iuxta secundam & primam sententiam contra tertiam.

8 Non potest dari vacuum naturaliter, nec quidem virtute angelica; & hoc oritur ex defectu virtutis propriae in creaturis, & non tantum ex decreto extrinseco Dei. Hac quoad primam partem est communis, & quoad secundam est iuxta secundam & primam sententiam contra tertiam.

Probatur prima pars variis experimentis, quibus constat, multa corpora moueri contra propriam inclinationem ad impediendum vacuum, sicut aqua quandoque mouetur sursum; & alia corpora non mouentur iuxta inclinationem propriam: sic oleum ex lampade turrata non effluit dum lampas est à parte superiori bene obturata, quod tamen efflueret totaliter si non esset bene obturata. Alia etiam corpora rumpuntur eandem ob causam, ut patet in vase pleno aqua, quod positum in loco frigido ubi condensetur aqua, rumpitur, quia aqua ex illa condensatione occupat minus locum quam antea: & propterea, quia nisi rumpetur vas, non succederet aliud corpus, & daretur vacuum, rumpitur vas. At certe quamuis communiter adducatur hac experientia ad hoc propositum, valde incertum mihi est, an rumpatur ad impediendum vacuum, propter dicenda in quaestione sequenti n. 26. quare potius aliis experientiis est fidendum, quae plurimae sunt & satis obviae, ut propterea superfluum sit illas hic adducere, ex quibus satis patet naturam abhorreere à vacuo, & consequenter non posse naturaliter dari.

Complutenses probant hanc conclusionem: quia Deus & natura nihil agunt frustra, sed vacuum esset frustra.

9 Confirmatur, quia cederet in detrimentum vniuersi: ergo non potest causari à natura, quae sibi nequit esse aduersa.

Sed contra: quia vacuum non esset frustra, quandoquidem ostenderet ad quid posset se extendere natura. Et praeterea quamuis ex se esset frustra, tamen non esset frustra, quantum ad eiectionem corporis à loco, & impedimentum alterius corporis succelluri: hoc autem esset, quod intenderetur per se à natura causante vacuum, non ipsum vacuum.

Ad confirmationem facile negari posset antecedens, loquendo de vacuo aliquo, paruo praesertim.

Deinde quid impedit, quo minus Angelus posset facere aliquid, quod caderet in damnum vniuersitatis rerum corporearum; aut quid esset inconuenientiae, quod aliqua partes vniuersi possint per accidens facere aliquid quod aliquo cederet in damnum vniuersi?

10 Secunda pars probatur: tum quia potest satis commode & absque difficultate negari talis potentia creaturis, & potius dicendum est, quod ex defectu ipsius non possint efficere vacuum, quam recurrendum est ad Dominum Deum; tum quia nulla potest assignari ratio, cur Deus haberet illam ordinationem extrinsecam: si non exigeretur à creaturis; non autem exigeretur ab his, nisi quia ipsamet non haberent tale virtutem; tum quia non constaret nobis, quod haberet illam ordinationem, quamuis enim in casibus illarum experientiarum id constaret; tamen quis scit, quin in aliis casibus multis nobis incognitis habeat oppositam ordinationem, & consequenter, quin detur vacuum?

Dices contra secundam probationem: ratio est, quia Deus haberet talem ordinationem esset, ut vniuersum esset perfectum, quale non esset si daretur vacuum; vel ut possent res omnes in se inuicem agere, aut à se inuicem pati, & praecipue ut caelestia corpora possint habere influxus in omnia inferiora corpora quod non possent, si daretur vacuum, quia non potest dari actio in distans; vel ne aliquid esset otiosum, & inutile.

Contra primam ex his rationibus: quia vniuersum non debet esse necessario tam perfectum quin possit esse perfectius quam est, & etiam imperfectius: ergo ex perfectio-

ne, quam debet habere, non necessario caret vacuo. Probatur consequentia: quia habendo vacuum, non sequitur aliud quam quod non esset tam perfectum, quam si careret illo, ergo si non debet habere omnem perfectionem possibilem, aut si potest esse imperfectius quam est, poterit habere vacuum non obstante perfectione, quam debet habere.

11 Contra secundam: quia posset res omnes agere & pati inter se inuicem mediate vel immediate, quamuis daretur vacuum, nec etiam posset dari actio in distans: continuantur enim, aut contiguantur omnia corpora cum superficie non continente intra se corpus, & partes superficie illius continuantur inter se non obstante vacuo: ergo non obstante vacuo posset agere inter se inuicem & pati: quae etiam ratio probat, quod corpora caelestia posset agere & influere in inferiora omnia, non obstante, quod daretur vacuum in hac aula, verbi gratia; quamuis non agerent in inferiora, si daretur vacuum inter totum concauum Lunae & superficiem conuexam terrae & aquae; nisi possit dari actio in distans.

Contra tertiam negat Arriaga, vacuum esse otiosum aut inutile, quia est nihil, & tamen ipsemet postea n. 160 dicit Deum loco corporum Christi & B. Virginis in Caelum assumptorum creasse alia corpora, quia vacuum, quod alias daretur esset inutile: ergo male negat rationem, cur vacuum non detur, esse, quod vacuum esset otiosum, aut male ipsemet assignat eandem rationem.

12 Melius contra tertiam illam rationem facit, quod non esset inutile, quia ostenderet virtutem causae secundae; & quamuis esset inutile, ac otiosum quantum ad hoc, quod non esset necessarium, nec haberet effectum posituum, tamen talis inutilitas, ac otiositas non sufficit ad probandum, quod non posset dari: nam datur naturaliter negatio huius, aut illius intellectionis in homine, quae in hoc sensu est inutilis, quia non est necessaria, nec habet effectum posituum. Deinde licet vacuum per se non esset vtile, quia est nihil, tamen per accidens posset esse vtile, nimirum ratione motus, quo moueretur corpus à loco, & detineretur aliud corpus à succedendo ipsi.

13 Probatur secundo hac secunda pars conclusionis: quia nulla creatura nec quidem Angelica potest penetrare duas quantitates, hac enim sunt naturaliter impenetrabiles; sed non posset fieri vacuum absque penetratione: ergo nulla creatura potest efficere vacuum. Probatur minor: ut ponatur vacuum hic, debet tolli corpus hic positum: ergo cum vniuersum sit plenum antea, ut suppono deberet poni in alio loco, & ab eo alio loco expelli corpus, quod ibi fuit, nisi fieret penetratio; ac tandem vltimum corpus quod expelletur, deberet poni hic, & consequenter hic non esset vacuum.

Dices quando expellitur corpus ab hoc loco, posset condensari alia corpora, & corpus hic expulsum posset occupare partem illam loci, quam ante condensationem occupabant, & post condensationem non occupant, & sic non esse necesse, ut aliud corpus moueatur ad hunc locum, atque adeo posset dari vacuum saltem, virtute Angelica, quae videtur posse impedire, quo minus aliud corpus succedat corpori hinc expulso.

Solutio huius replica dependet à doctrina danda de rarefactione & condensatione: nam si dicatur condensatione fieri absque deperditione quantitatis vilius, aut absque egressu corpusculorum, replica erit bona, & sufficienter tollit vim huius probationis. At si dicatur non posse fieri absque egressu corpusculorum quantorum, non valet, quia ipsamet corpuscula egressa occupabunt partem illam loci relictam à corpore densato, & sic non erit locus corpori hinc expulso. Hac ergo probatio est bona ex suppositione huius secundae sententiae, & non proponitur hic, nisi ex ista hypothesi.

14 Obiicies contra primam partem: Dum consumitur oleum in lucerna turrata, seu ad modum turris coepta, non potest ingredi aer: ergo remanet vacuum in summate lucerna. Deinde in lapidibus quibusdam durissimis, quando franguntur, reperiuntur quaedam concauitates, in quibus nulla corpora erant, integris lapidibus. Praeterea

rea dum extrahitur clauus cum violentia ex trabe, debet reperiri vacuum in interiori parte foraminis, quia aer eo perungere non potuit.

Respondetur, dum consumitur oleum, & extrahitur clauus, semper ingredi aëre, quamuis imperceptibiliter quoad sensum. In concauitatibus autē illis lapidum reperiatur aer ab initio simul cum lapidibus productus.

Obicies cum *Mastrio* contra secundam partem: Doctor in quarto dist. 43. quæst. 5. ait: Si natura in instanti faceret minus ex maiori, vacuum posset esse absque miraculo: ergo datur virtus ad faciendum vacuum in natura secundum Scotum.

Respondeo negando consequentiam, quamuis enim daretur talis virtus, ex suppositione prioris virtutis, non tamen sequitur, quod de facto, quandoquidē de facto non datur prior virtus: sicut quamuis equus esset risibilis, si esset rationalis, non sequitur, quod de facto sit risibilis.

15 *Obicies* secundo pro eodem: secundum Scotum in 3. dist. 27. n. 12. Aqua non mouet se sursum ad impediendum vacuum, sed à virtute regitiua vniuersi: hoc supposito sic argumentatur: Secludenda diuina ordinatione, nulla vis in vniuerso reperitur resistens separationi, seu disunctioni illi corporum, ad quam sequeretur vacuum: imo potius corpora vniuersi inclinatur ad illam separationem: ergo seclusa illa ordinatione diuina dari posset vacuum naturaliter.

Respondeo concedendo authoritatem Scoti, qui nihil aliud vult, ut patet ex ipsa littera, quam quod aqua moueatur à causa aliqua extrinseca ad impediendum vacuum: nego vero antecedens, quia vel impenetratio corporum erit causa impediens illam separationem: vel aliqua causa creata contenta in vniuerso habent virtutē naturaliter impulsuam aliorum corporum ad impediendum vacuum, quæ virtus nequit impediri ab vlla causa creata.

16 Fateor tamen, mihi non satis constare, si impedimentum vacui non proueniat ex impenetratione iuxta secundam probationem, quin Angelus posset impedire, quo minus impelleretur corpus ad impediendum vacuum, & sic non satis constare, quin virtute Angelica posset dari vacuum, nisi, ut dixi, impedimentum eius proueniat ex illa impenetrabilitate: nam illa experientia, quibus suaderetur non dari de facto, nec posse naturaliter dari, habent locum quantum ad alias causas naturaliter agentes, non vero quantum ad Angelos.

Dices cum Complutensibus: vacuum esset miraculosum: ergo nequit fieri ab Angelis.

Contra: quia in antecedente petitur principium: supponitur enim quod esset probandum, & quod negaretur quotquot dicerent Angelos posse vacuum causare.

QVÆSTIO II.

Qua causa impedit vacuum.

Causa
impedi-
tes va-
cuum.

17 **T**RIBUS aut quatuor modis, ut plurimum impeditur vacuum. *Primo* per motum localem, quo aliqua res mouetur contra propriam inclinationem, ut quando aqua ascendit sursum. *Secundo* per rarefactionem, qua corpus in ampliorem molem reducit, ut possit impediri vacuum, quod alias oriretur ex condensatione aliorum corporum. *Tertio* per fractionem alicuius vasis. *Quarto* per detentionem corporis in loco sic ut dimoueri nequeat, ut in follibus, quorum latera, obstructo orificio, nequeunt à se inuicem diuelli, quia non datur locus aëri aut alij corpori, quod succedere posset. Quaritur ergo hic, à qua causa effectiue oriuntur hæc impedimenta, & particularius id examinari solet de impedimento primo, quod fit per motum localem rei contra suam propriam inclinationem.

Prima sententia est, huiusmodi corpora moueri à seipsis per virtutem sibi intrinsicam. Authores vero huius sententia in assignanda hac virtute inter se discrepant: nam *Scaliger exercit. §. 1.* eam esse gravitatem ac leuitatem existimat, non tamen ut sunt naturæ particulares, sed ut respiciunt bonum vniuersi. *Conimbricenses* autem dicunt eam esse qualitatem quandam aliam, cuius munus sit impedire semper vacuum.

Secunda sententia est, ea moueri à causa aliqua extrinseca, quam alij dicunt esse Deum, alij intelligentiam aliquam reatricem vniuersi, alij formam totius vniuersi, alij influentiam quandam cælestem, alij corpus secedens à loco, quod attrahit post se aliud corpus, vel sicut *Magnes* attrahit ferrum, vel propter viscositatem, quæ causa est cur aliud corpus adhæreat ipsi, ac sequatur. *Mastrius* vero sequens *Amicum*, ait causam huius motus esse, quod ex ordinatione Diuina, corpora debeant esse contigua, ac colligata inter se, & quod hoc supposito, corpus motum à loco trahat post se aliud corpus. Vnde quod est causa, cur moueatur corpus à loco, est etiam causa, cur aliud corpus sequatur ipsum.

CONCLUSIO I.

18 *Corpora non mouentur seipsi seu ex sua propria virtute ad impediendum vacuum, sed ab aliqua causa extrinseca.* Hæc est expresse Doctoris in 3. d. 27. & Probatur: quia non habent virtutem motiuam respectu talis motus: ergo non se mouent illo motu.

Probatur antecedens: quia nec grauitas aut leuitas est talis virtus, nec alia adscribi debet: non quidem grauitas in corpore graui, v.g. aqua, quia grauitas ex se est principium formale descendendi, & ad hoc naturaliter determinatum: nec pari ratione leuitas in corpore leui: absurdum enim est, quod principium vnum naturale possit habere duos effectus incompatibiles non dependentes à propositione aliqua obiecti, nec à causa aliqua libera: nec etiam alia virtus debet attribui aquæ, v.g. à qua moueatur sursum, quia omnis virtus aquæ est naturalis, & consequenter deberet habere effectum suum semper quoties non ponitur impedimentum: ergo si aqua ex se haberet virtutem ad æquatam ac totalem respectu motus sursum, deberet semper moueri sursum, quoties non ponitur impedimentum: sed non ponitur impedimentum de facto aquæ expositæ aëri, nā aër ipse non est impedimentum sufficiens: sicut enim non impedit motum aquæ deorsum protendentem à grauitate aquæ determinatæ naturaliter ad talem motum, ita nec deberet impedire motum aquæ sursum, qui prouenire deberet ab alia illa qualitate tam naturaliter, quam motus deorsum à grauitate.

Dices illam aliam qualitatem datam esse aquæ ad bonum vniuersale, ne scilicet daretur vacuum in vniuerso, atque adeo non debere causare motum, nisi quando est periculum vacui; vnde impedimentum istius motus est negatio periculi vniuersi.

Contra: licet ignis haberet virtutē combustiuam in ordine ad bonum vniuersi, tamen quia illa virtus est causa ad æquata combustionis, si applicaretur hic, & nunc materiis combustibilibus, ex quarum combustionem sequeretur malum vniuersi, aut non sequeretur bonum ipsius, deberet comburere: ergo & illa virtus si esset causa ad æquata motus sursum, deberet illum causare quotiescumque esset applicata sufficienter: nec haberet aliud impedimentum, quā quod non sequeretur bonum vniuersi ex motu ipsius. Et ratio vtriusque: à priori est quod causa naturaliter agens non potest impediri à negatione vlla nisi à negatione concausæ aut conditionis positivæ applicatæ ipsi ad materiam, vel disponētis materiam aut obiectum, circa quod agit: periculum autem vacui non est concausa motus illius, nec conditio applicans aquam ad motum, aut disponens siue aquam, siue aliud subiectum ad recipiendum motum: ergo aqua non obstante negatione eius potest tantum agere, quantum si non fuisset.

Probatur secundo: Si aqua haberet virtutem aliquam intrinsecam motus sursum, illa non deberet esse nisi in ordine ad impediendum vacuum, ut fatentur aduersarij: ergo non deberet mouere nisi quantum sufficeret ad impediendum vacuum: nec consequenter deberet mouere aquam ascendentem per fistulam nisi vsque ad extremitatem fistulæ, sic ut nulla pars aquæ deberet effluere, quia eousque ascendendo impediretur vacuum: sed experientia constat quod moueatur amplius, ergo non mouetur ab illa virtute.

Confirmatur: non deberet potius dari virtus aquæ contra propriam inclinationem ad motum illum, quæ solum causare

Corpora
non mo-
uentur se
ipsis ad
impedi-
dum va-
cuum.

causare potest impendente periculo vacui, quam virtus attractiua ipsius corpori recedenti; imo potius videtur concedenda illa virtus corpori recedenti, quia corpus recedens non habet virtutem contrariam tali virtuti, sicut habet aqua virtutem contrariam virtuti motiue sursum, nimirum grauitatem, vt motiua est deorsum: ergo non solum gratis, sed minus probabiliter asseritur illa virtus motiua esse in aqua ac cæteris corporibus, quæ sic mouentur.

CONCLUSIO II.

21. Motus ille non provenit à corpore recedente, nec etiam à colligatione corporum orta ex decreto Dei, & motore corporis recedentis. Hæc quoad primam partem est contra Aristotelm & Amicum.

Probatur prima pars: quia corpus recedens haberet virtutem attractiua, vel propter adhaerentiam aliorum corporum, vel propter virtutem occultam attractiua: neutrum dici potest: ergo.

Probatur minor: quia non propter adhaerentiam orta scilicet ex viscositate aliqua, quia falsum est talem dari inter duo corpora dura præsertim, quorum tamen vnum sequitur alterum, ne fiat vacuum; tum quia si daretur talis viscositas seu adhaerentia, ratione illius sentiremus difficultatem separandi vnum corpus ab alio, quando non adesset periculum vacui, contra experientiam; tum quia certum est illam adhaerentiam non esse tantam, quin deberet superari à grauitate aquæ, sicut superatur quando descendit.

22. Et si dicas illam adhaerentiam non impedire separationem nisi occurrente vacuo.

Contra opponi potest totus discursus Conclusionis præcedentis vsque ad vltimam confirmationem, quo etiam discursu probatur, quod corpus recedens non habet virtutem illam quasi magneticam attractiua corporis, quia si talem haberet, semper deberet attrahere etiam non occurrente periculo vacui.

Confirmatur, quia si esset illa adhaerentia corporum inter se, non potius propter illam deberet sequi aqua, verbi gratia ad impediendum vacuum, quam aer recedens manere in loco suo proprio: ergo illa adhaerentia non est causa ad quæ istius motus.

Confirmatur hoc ipsum: quia folles, quando est periculum vacui, non possunt extendi, sed remanent compressæ non minus quam aqua ascendit ad impediendum vacuum: ergo aer ad impediendum vacuum posset remanere immobilis contra naturam particularem suam, non minus quam aqua posset moueri contra suam inclinationem sursum: ergo adhaerentia viscosa aquæ ad aërem ad impediendum vacuum non potius deberet esse ratio, cur aqua moueretur sursum, quam cur aer aut aliud corpus recedens deberet manere immobile iuxta aquam.

23. Probatur secunda pars: tum quia male asseritur illa coniunctio, & colligatio oriri ex decreto Diuino, si non sit exigentia aliqua in ipsis rebus ex natura sua: quod si sit talis exigentia colligatio ipsismet naturis rerum potius attribuenda est, quam ordinationi extrinsecæ Dei. Tum quia, vt paulo ante dixi, si sit talis colligatio ex ordinatione Diuina inter corpora, non potius ex ea deberet oriri, quod corpus recedens deberet mouere seu trahere post se corpus subsequens, quam corpus subsequens detinere corpus illud quod recedit; tum denique, quia sicut illa colligatio attribuitur Deo, ita etiam & motus illi attribui debet; non vero motori corporis recedentis, nisi per modum conditionis sine qua non, quatenus scilicet si ipsum non moueret corpus recedens, nec Deus moueret corpus subsequens.

Probatur hoc: quia ipsamet colligatio non est aliud, quàm positio corporum in locis cõtiguis: ergo si colligatio aquæ cum aëre recedente oriatur à Deo, positio aquæ in loco contiguo loco aeris attribui debet Deo: sed positio illa fit per motum localem aquæ: ergo motus ille debet adscribi causæ contiguationis.

CONCLUSIO III.

24. Ille motus non debet adscribi Deo, nec Angelo rectori vniuersi, & multo minus formæ totius vniuersi. Hæc est iuxta eos, qui adscribunt motum illum virtuti intrinsecæ, & eos etiam, qui assignant aliam causam extrinsecam.

Probatur prima pars, & secunda: tum quia ad Deum ac Angelos in effectibus naturalibus non est recurrendum, nisi vbi deficiunt aliæ causæ naturales, quales hic non deficiunt, vt patebit postea: tum quia ad impediendum vacuum nec Deus nec Angelus deberet potius mouere corpus contra propriam inclinationem, quam detinere alia corpora in loco priori, aut impedire actiones illas, quæ darent occasionem vacuo, nec deberet etiam mouere illa corpora plusquam necesse esset ad impediendum vacuum. Cur enim Deus, quemadmodum detinet graue sursum aliquando, ne fiat vacuum, vt dicunt aduersarij, nec permittit, vt aut ex se moueatur deorsum aut ab alio agente, quod alias ipsum moueret, similiter nõ detinet aërem in fistula ne fiat vacuum tam bene quàm impelleret aquam renitentem ad motum sursum vacui impediendi gratia, aut cur potius frangeret vas, in quo congelaretur aqua, quam impediret condensationem aquæ in illo vase, quæ alias succedere deberet, nisi immineret vacuum, vt supponitur?

Probatur tertia pars: tum iisdem rationibus, tum etiam quia non datur forma aliqua vna totius vniuersi, nisi aggregatum ex omnibus formis particularibus repertis in illo, illa autem forma aggregata non habet hoc facere, nec secundum se tota, quia secundum se totam non applicatur; nec secundum partem vllam determinatam, quia talis assignari non potest; & si possit, ipsamet potius deberet dici causa quam forma totius, vt distinguitur ab illa.

CONCLUSIO IV.

25. Motus corporis ascendens contra propriam inclinationem ad impediendum vacuum, fit ab alio corpore succedente ac impellente ipsum immediate, & mediate ab agente mouente primum corpus, quod mouetur, quando incipit motus, quo fieret vacuum, nisi succederet corpus ascendens. Hæc est conformis principiis supra insinuat, quod in rarefactione acquiratur noua quantitas cum subiecto nouo, & in condensatione deperdat aliquam quantitas simul cum subiecto suo: supposito enim hoc, ac impenetrabilitate corporum, facile

Probatur conclusio: quia non potest vnum corpus à loco recedere quin expellat aliud corpus, & illud aliud, & sic necessario debet vnum aliud expellere donec perueniat ad corpus succedens primo corpori, quod impellitur à corpore sibi immediate succedere, etiam contra propriam inclinationem, sicut impellimus lapides sursum. Itaque sic fit hic, quemadmodum in rota, cuius cum vna pars impellitur, illa impellit aliam, & hæc alteram, donec pars immediate succedens impellatur ad succedendum: quod exemplum magis ostendet propositum, si rota fieret ex partibus omnibus contiguis, & non continuis: nam si partes sint continuæ, non potest moueri vna quin altera succedat, etiam absque impulsu aliquo partis succedentis, vt patet in linea mota seu tracta à capite; at si partes sint contiguæ, & non continuæ, nec adhaerentes sibi inuicem, quamuis vna pars moueretur, alia sequens moueri non deberet, nisi ab altera succedente impelleretur vt patet. Quod si etiam posset fieri conuersatio per deperditionem aut quantitatis, aut modi quantitatis, absque deperditione subiecti; tamen adhuc neganda esset contingere in casu, quo moueretur corpus sursum ad impediendum vacuum, aut saltem negari deberet contingere in tanta mensura, quanta sufficit ad excludendum hunc modum mouendi aquam sursum.

26. Adde, in hoc modo dicendi non esse aliquid difficultatis, nisi quod mirum videatur, quomodo ab aëre moto in fistula possit etiam moueri tã cito mediate aqua à parte inferiori, à qua aer ille posset distare secundum lineam illam, qua progreditur motus per multa miliaria:

at

Motus
impediens
vacuum
non ori-
tur à co-
pore re-
cedente.

Motus
corporis
ascendens
ad im-
mediatam
causam
pro-
uenit à
corpore
succedente
& im-
pelle.

QVÆSTIO III.

An possit dari motus in vacuo, & qualis.

at hæc difficultas imaginationis debet tolli per rationē, qua colligitur necessarium esse ita fieri, & per aliam imaginationem de rota facta ex globulis non continuatis, sed contiguis, quæ quamvis esset maximæ magnitudinis, supposito quod impelleretur vnus globulus, deberet necessario per huiusmodi impulsū partis ad partem tota moueri tam breui tempore, quam moueretur primus globulus impulsus propter impenetrabilitatem corporum; quod exemplum est valde aptum ad persuadendum hoc quod dicimus.

Ex hoc patet, cur non descendat graue deorsum, quādo ex descensu sequeretur vacuum, quia scilicet cū non possit propter impedimentum succedere ipsi aliud corpus, non potest impellere ante se alia corpora, & consequenter debet manere vbi est, quæ est etiam ratio cur solium latera extendi nequeunt obstructo orificio. Fractio vero vasis nullo modo oritur ad impediendum vacuum, quando condensatur in ipso aqua, v. g. tum quia natura non potius tam deberet, extraordinarie rumpere vas in ordine ad hunc finem, quam impedire illam condensationem: tum quia reuera, quando condensatur aqua, tantum corpusculorum egreditur ex aqua, quantum sufficit ad occupandum illam partem loci ab aqua relictam, & sic non daretur vacuum, licet non rumperetur vas: oritur ergo illa fractio ex impetu aquæ retrahentis se ad vnā partem, vel ex aliis capitibus, de quo suo loco.

Quæres, an motus aquæ sursum ad impediendum vacuum sit naturalis an violentus.

Omnes quotquot dicunt illum motum provenire ab intrinseca aliqua virtute aquæ ob inclinationem, quam habet quasi vniuersalem ab bonum vniuersi, *Respondent & merito, affirmant:* & similiter debent omnes respondere, qui ponunt talem inclinationem, vnde cumque oriatur efficienter motus eius: motus enim tendens in bonum quodcumque quod est secundum inclinationem rei motæ, est ipsi naturalis. At quia reuera probabilius puto motum illum non esse ad bonum vniuersi, magis quam quicumque motus etiam violentus potest dici cedere in bonum ipsius, & quia quamvis cederet etiam in bonum vniuersi, adhuc pars appetitu innato non appetit bonum totius, nisi quando bonum ipsius partis ab ipso dependet, bonum autem aquæ non dependet à bono illo vniuersi quod sequitur ex motu ipsius contra propriam inclinationem, quandoquidem sæpe ex illo motu oritur, vt applicetur causis destructiuis; ideo simpliciter cenfeo motum illum non debere esse naturalem, sed bene posse esse violentum; & dico posse esse, quia non est necesse, vt sit semper violentus, quandoque enim posset mediante illo motu aqua acquirere aliquam perfectionem licet hoc esset per accidens ad illum motum, & hæc est expressa sententia Scoti supra dist. 27. Nec refert quod in 4. dist. 49. q. 13. n. 13. dicat: *Aquam esse sursum, vt saluetur plenum in vniuerso, non est simpliciter violentum: imo si tunc descenderet relictō vacuo superius, esset simpliciter violentum, & secundum quid naturale, quia natura totius vniuersi magis est principium naturalitatis quam natura istius particularis, & magis naturale est, quod tali toti conuenit, quam quod proprie huic parti:* quæ verba sūt fundamentum P. Fuenti, vt teneat oppositum huius resolutionis: sed non sunt tam expresse in fauorem ipsius, quam ipse putat, vnde

28 *Respondet, aliud esse quod motus ille sit violentus simpliciter, aliud quod sit violentus aquæ: vt sit enim simpliciter violentus, requiritur, quod nulli sit naturalis, aut quod non sit naturalis principaliori: vt sit autē violentus aquæ, sufficit esse contra inclinationem ipsius, quamvis esset secundum inclinationem alterius, & quidem dignioris. Itaque Scotus his verbis dicit motum illum non esse simpliciter violentum, quia non est violentus vniuerso, sed potius secundum inclinationem vniuersi; sed non dicit non esse violentum aquæ, imo in loco pro nobis citato dicit esse violentum, & nullo modo naturalem aquæ, & hæc expositio patet ex ipsis verbis, si quis ponderauerit illa.*

29 Quamvis per se hic solum agere oporteret de vacuo terminato, tamen non erit abs re aliquid adiungere de vacuo interminato.

Prima sententia est, non posse fieri motum in vacuo vllō, & si fieret, illum debere esse instantaneum. Ita Albertus, Agidius, Burleus hic.

Secunda sententia communissima cum Doctore 2. dist. 2. quæst. 9. asserit possibilem esse motum in vacuo, & quidē successiuum: sed adhuc tamen inter huius sententiæ auctores non conuenit adæquate: nam aliqui dicunt in vacuo non esse possibilem motum causatum à rebus corporeis, sed bene tamen à Deo, vel Angelis: aut Complutenses. Alij aiunt in vacuo interminato non posse fieri motum grauium, aut leuium, bene tamen posse esse motum animalium, & proiectorum. Alij existimant in vacuo terminato nō posse esse motum progressiuum rei positæ in medio istius vacui, nec motum volatiliū. Alij putant etiam quod, si esse vacuum inter terram & Cælum, non posset quispiam ab vno loco ad alium mouere se, neque eleuare se super terram.

CONCLUSIO I.

30 *Potest dari motus grauium, & leuium in vacuo terminato, & motus progressiuus corporis existentis super superficiem terræ ab vna parte ad aliam partem, & motus progressiuus in medio vacui virtute Diuina ac Angelica, non vero virtute corporea, loquendo de motu progressiuo totius corporis, seu animalis.*

Probatur prima pars: quia nihil impedit quo minus lapis positus supra terram in vacuo, quod esset intra terrā & Cælum Lunæ ad altitudinem hominis descenderet ad terram, quæ est locus naturalis eius; nec enim aer iuuat illum motum, sed potius impedit ipsum: ergo debet concedi ipsi virtus: & certe si ipsimet non concederetur virtus descendendi, nō potest cum vlla probabilitate negari, quin Deus posset ipsum deorsū aut sursum impellere, prout placeret ipsi: & idē dicendū est de Angelo. Deinde nihil impedit, quo minus leue ascenderet sursum ad locum suum naturalem v. g. ignis ad concuum Lunæ, supposito quod sit locus naturalis eius.

Dices: motus ille si daretur, deberet esse instantaneus: sed hoc implicat.

Respondet, negando ante cedens, cuius ratio patebit ex dicendis.

Dices secundo, Motus istius corporis dependet ab influxu cælorum: sed talis non potest communicari ipsi in vacuo, quia non datur actio in distans.

Respondet primo, illam dependentiam non esse tam necessariam, quin possit suppleri à Deo: ergo saltem à Deo possent moueri corpora sursum & deorsum in vacuo.

Respondet secundo, negando maiorem: neque enim omnis effectus sublunarium debet dependere immediate à celestibus corporibus: & oppositum gratis asseritur.

31 *Probatur secunda pars:* quia nihil prorsus impedit, quo minus homo existens super hanc partem terræ moueret se ad aliam: ergo asserendum est quod sic: quodcumque enim datur virtus loco motiua, & terminus à quo & ad quem sufficiens, nec aliquod impedimentum assignari potest, gratissime & male negaretur possibilitas motus ab illo, quod haberet illam virtutem.

Dices, ex diuina ordinatione, aut ex natura rerum de facto procedere, vt nunquam aliquid recedat à loco in quo est, quin aliud ipsi succedat, vt patet experientia: sed in tali casu nihil succederet homini recedenti à suo loco: ergo non posset ab illo recedere.

Respondet distinguendo maiorem: ex natura rerū præcise, aut ordinatione aliqua Diuina non supponente rationem ex parte rerum, nego maiorem: ex illa natura supposita contiguitate rerum & defectu vacui, ex qua natura, & defectu oritur quod vna remota, alia moueri debeat, donec perueniatur ad corpus succedens, concedo maiorem, & nego consequentiā, quia in casu nostro non esset necessitas successione, sicut est de facto propter defectum vacui, & impenetrabilitatem corporum.

Probatur

Non frā-
gitur va-
ad impe-
diendum
vacuum m-

An mo-
tus aquæ
sursum
ad impe-
diendum
vacuum
sit natu-
ralis.

Potest
dari in o-
tus gra-
uium, &
leuium
in vacuo
termina-
to, &
progre-
ssiuus.

Probatur tertia pars simili ratione, quia nihil impedit.

Probatur denique quarta pars: quia motus progressivus fit cum dependentia à corpore, supra quod quis progreditur, & hinc non possumus progredi supra terram elevari, licet moueamus pedes nostros, quos etiam mouere possemus taliter in medio vacui; neque enim ille motus dependet à corpore sustentante.

Obiicies contra primam partem: non potest dari aliquis motus, qui non sit vel sursum, vel deorsum, vel dextrorsum, vel sinistrorsum: sed in vacuo terminato non potest motus habere ullam rationem ex his: ergo nequit dari motus in eo.

Respondeo primo, distinguendo maiorem: vbi cumque dantur aliqua, per ordinem ad quæ possunt desumi istæ denominationes, concedo maiorem: vbi non dantur talia, nego maiorem; & permitta minori, nego consequentiam, quia si non possint in tali casu reperiri aliqua, per ordinem ad quæ motus aliquam ex illis denominationibus habere possit, non habebit ullam ex illis, & sic non erit nisi accidentale motui illas habere.

Respondeo secundo negando minorem: quia si motus fiat à terra ad Cælum, erit motus sursum, si à Cælo ad terram, erit deorsum.

Obiicies secundo: motus ille non haberet vbi reale pro termino: ergo non potest esse realis. Probatur antecedens: quia vbi reale terminatur ad superficiem ambientem, qualis non daretur in casu conclusionis.

Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem dico, vbi reale non necessario debere terminari ad superficiem immediate contiguam rei motæ, & vbicunque, sed sufficit quod ambiatur ab aliqua remota, nec hoc etiam requiritur necessario; quia satis esset quod ponatur distans tantum vel tantum ab alia re, siue ambiatur siue non.

CONCLUSIO II.

Qualis
motus
posset
dari
in
vacuo.

35 Si poneretur corpus graue, verbi gratia homo, extra cælum in vacuo interminato, non posset habere motum progressivum, posset tamen mouere manus, & pedes motu animalis, imo moueretur naturaliter ad Cælum à gravitate sua, sed corpus leue non posset mouere se ob leuitatem. Prima, & secunda pars est communis, tertia videtur contra commune.

Probatur prima pars: quia si non potest animal positum in vacuo terminato mouere se progressiue, non poterit etiam in interminato à paritate rationis.

Secunda pars patet: quia nihil impedit talem motum, quo scilicet approximeret manus ori, pedes ad se inuicem.

Tertia pars probatur: quia cum haberet suum centrum seu locum naturalem sub se, deberet eò ferri naturaliter, cum nihil impediat. Itaque perueniret ad cælum Empyreum; & quia hoc non posset penetrare, maneret supra ipsum, & posset supra ipsum ambulare, ex suppositione quod posset viuere supra ipsum.

Quarta pars etiam patet: quia non haberet locum naturalem supra se: ergo non deberet eò ferri virtute gravitatis; si tamen duo corpora ponerentur in illo vacuo, vt aqua, & oleum, oleum tum positum sub aqua moueret se naturaliter ob leuitatem supra aquam, quia petit naturaliter esse supra aquam, & aqua petit esse sub oleo.

CONCLUSIO III.

Motus
qui fieret
in vacuo
à causis
secundis
esset suc-
cessivus.

34 Motus localis, qui fieret in vacuo quocumque à corporibus virtute propria vel aliena creata, esset successivus. Hec est communis cum Doctore 2. d. 2. q. 9. & D. Thoma hic l. 12. quos sequuntur præter suos, etiam recentiores, contra authores primæ sententiæ.

Probatur: quia implicat ex corporibus æqualibus aut virtute sua aut virtute extrinseca creata æqualiter applicata, quod æquali tempore, vnum pertranseat distantiam vnius milliariis, & alterum distantiam centum milliariorum: sed si in vacuo motus corporum proueniens à virtute propria aut aliena creata fieret in instanti, hoc esset falsum: ergo non debet esse in instanti. Probatur minor: si lapis à concauo Lunæ ad terram, supposito vacuo inter vtrunque & manente eadem distantia, quæ est de facto, moueretur in instanti, deberet illam totam distantiam, quæ est maior quam mille milliariorum, in instanti pertranfire:

sed etiã in instanti deberet lapis descendens per vacuũ, cuius latera distarent vno tantum milliari, pertranfire illud spatium: ergo æquali tempore vtrumque pertranfiret suum spatium.

35 *Confirmatur: quia si à concauo Lunæ ad terram protenderetur vna hasta, & corpus palmare iuxta illam moueretur ad terram in instanti, deberet esse simul præsens omnibus partibus, & sic esset æqualis longitudinis cum hasta, quod est absurdum: ergo non posset moueri in instanti. Probatur minor: quia si non esset simul præsens omnibus, ergo deberet aliquando esse præsens vni parti, & aliquando alteri, & sic non moueretur in instanti.*

Confirmatur secundo: quia lapis positus iuxta summitatem istius hastæ, & alter iuxta medium non posset æque cito pertingere ad terram, si essent æqualis gravitatis, & æquali impulsu impellerentur à causis mouentibus: ergo vnus moueretur citius alio, & consequenter motus vnus esset successivus, quod est intentum.

Probatur secundo, quia successio in motu non solum oritur ex resistentia medijs, sed ex limitata virtute mouētis, & ex distantia maiori vel minori, qualis posset esse in vacuo: ergo posset esse motus successivus in illo, & deberet consequenter esse quoties proueniret à causis creatis.

Dixi autem: quoties proueniret ab huiusmodi causis, quia Deus, sicut potest in spatio pleno mouere in instanti corpus ab vno loco ad alium, quantumvis distantem, non pertransito tamen formaliter, & positue medio: ita etiam posset mouere corpus in spatio in vacuo, vel à potiori, vel à pari.

36 *Obiicies primo, ex Philosopho hic text. 71. quæ est proportio medijs ad medium in densitate, & subtilitate, ea est proportio motus ad motum in velocitate, & tarditate: sed medijs vacui ad medium plenum nulla est proportio: ergo nulla est proportio motus facti in spatio pleno ad motum factum in vacuo in velocitate aut tarditate: ergo alter ex illis debet esse instantaneus, quia si vterque esset successivus, necessario deberent habere aliquam proportionem ad inuicem, ita scilicet, vt necessario vel essent æqualis tarditatis aut velocitatis, aut alter altero esset tanto vel tanto velocior aut tardior.*

Confirmatur ex text. 72. Non potest motus factus in vacuo esse æqualis motui facti in pleno, quantum ad velocitatem, si cætera sint paria, quia medium plenum aliquo modo resistit motui: sed si daretur motus successivus in vacuo, hoc esset falsum: ergo nequit esse successivus. Probatur minor: quia si motus factus in vacuo esset successivus, deberet peragi in media hora verbi gratia, & motus factus in pleno esset ipso tardior. aliquo deteminato tempore, verbi gratia media hora. Tū sic: possibile esset quod daretur aliud medium duplo subtilius, & minus resistens quam illud medium, in quo motus corporis erat vnius horæ: sed si daretur, motus in ipso factus deberet esse media horæ tantum: ergo motus in alio medio factus esset æqualis motui facti in spatio vacuo.

Confirmatur secundo: quia Sol illuminat in instanti ærem, eo quod nihil reperiat resistentiam: sed nihil est resistentia in vacuo: ergo debet motus fieri in ipso in instanti, & consequenter non erit successivus.

37 *Respondeo distinguendo maiorem, ac sic explicando Philosophum: quantum ad tarditatem ac velocitatem ortam ex resistentia positiua medijs maiori vel minori, concedo; quantum ad tarditatem aut velocitatem ortam ex alijs capitibus, nego antecedens, quia certum est quod duo corpora in æqualis gravitatis aut in æqualiter impulsu per idem spatium aut per duo spatia eiusdem subtilitatis aut densitatis inæqualiter mouerentur.*

Ad Confirmationem Respondeo negando minorem, ad cuius probationem dico impossibile esse dari medium aliud tanto subtilius medio in quo fieret motus, vt motus in ipso factus, esset cæteris paribus æqualis velocitati cum motu facti in vacuo, quia quæcumque subtilitas admittit aliquid resistentiæ supra resistentiam vacui; vnde proportio medijs positiui ad medium positiuum quodcumque, semper debet esse talis, vt minor sit proportio medijs negatiui ad ipsum, quam ipsius.

Ad

Ad secundam confirmationem respondeo negando minorem, est enim resistentia distantie termini à quo ad terminum ad quem, quæ sufficit; non est autem talis resistentia ad illuminationem: neque enim gradus luminis productus in vna parte aeris est qui transit ad aliam, sed simul producuntur varij gradus, & partes luminis, vna in hac parte, & alia in altera: hic vero in casu nostro est idem corpus quod transit ab hac distantia maiori ad minorem.



DISPUTATIO XVII. DE TEMPORE AC DURATIONE.

Quamvis natura temporis rã difficilis visa sit S. Augustino, vt licet qualis fuerit, ipse conceperit, fateatur tamen se verbis eam explicare non posse: ac propterea nõ immerito præsumptioni attribui posset quod alius inferioris ingenij ac doctrinæ eius explicationem aggredereetur; tamen quia Philosophus, & cum eo cæteri expoliores de ea agunt, non erat prætermittendum, quin quam clare ac breuiter fieri posset, Scoti sententia proponeretur.

QVÆSTIO I.

Quid sit duratio, & quomodo distinguatur à re durante.

Quamvis durare in esse videatur importare perseverantiam quandam seu permanentiam, in esse, nec consequenter deberet dici quod res existens vnico tantum instanti duraret, aut haberet durationem vllam: tamen vsus communior dicendi iam obtinuit, vt omnia quæ existunt, dicantur durare, siue existant tempore aliquo diuisibili, siue solo instanti; vnde solemus respondere quæritibus quam diu solent durare res istæ vel illæ, annos, horas, instanti; & iuxta hunc vsum Scotus dicit q. 4. ar. quod si Angelus existeret pro vnico tantum instanti, adhuc duraret: hoc autem negare aut concedere quod fit improprius modus loquendi, est reducere rem ad questionem grammaticam de nomine, parui semper faciendam Philosopho, rem ipsam examinari. Itaque iuxta hunc communiorum loquendi modum hic agendum de Duratione.

CONCLUSIO I.

1. Duratio non est actualis coexistentia rei ad tempus. Est conformis Scoti in 2. d. 2. q. 2.

Probat: quia potest res durare, existere ac perseverare in esse, etiam si nullum tempus esset, cui actualiter coexisteret, verbi gratia si Deus ante productionem Mundi produceret Angelum: ergo duratio nõ consistit in coexistentia actuali ad tempus.

De hoc hinc sequi quod non consistat necessario in coexistentia actuali ad tempus reale, non vero quin consistat in coexistentia ad tempus imaginarium.

Contra Duratio in tali casu esset realis, & actualis: sed coexistentia ad tempus imaginarium non est realis & actualis, sed imaginaria: ergo duratio realis non consistit in coexistentia ad tempus etiam imaginarium.

Confirmatur: quia res secundum eandem durationem posset realiter coexistere diuersis temporibus realibus: sed non potest habere eandem coexistentiam, siue realem ad diuersa tempora realia, siue imaginariam ad diuersa tempora imaginaria: ergo duratio non consistit in coexistentia actuali. Minor patet: quia diuersi termini, saltem qui non possunt simul existere, exigunt diuersas relationes, & consequenter cum coexistentia sit relatio, non potest esse eadem ad diuersa tempora, quæ nõ possunt esse simul. Maior probatur, quia duratio est res illa, à qua formaliter quid sit tanto vel tanto tempore, verbi gratia per tres horas vel dies, &c. sed potest res habere hoc quocumque tempore tanto existit: ergo, &c.

Obiicitur, non potest res intelligi durare sine ordine ad tempus, vel verum vel imaginarium: ergo dicitur

essentialiter ordinem ad tempus: sed non alium quam coexistentie: ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens, sine ordine actuali, nego. sine aptitudinali, concedo.

Dices ipsa res, quæ duraret per mediam horã, haberet aptitudinem ad durandum per integram horã, & tamen non haberet durationem vnus horæ: ergo duratio dicit aliquid vltra aptitudinem.

Respondeo distinguendo maiorem: aptitudinem remotã, concedo; proximã, seu talem qualem haberet, si haberet durationem horæ, nego: & concessa minore similiter distinguo consequens. Itaque res durans duratione horaria verbi gratia habet talẽ aptitudinem proximã, vt eo ipso, quod sic duraret, sine vltiori conseruatione durationis posset coexistere cuicumque horæ tẽporis simul cum ipso incipienti; res vero existens, & durans media hora non haberet coexistere toti horæ incipienti simul cū ipsa, nisi vltius conseruaretur: ergo nõ haberet aptitudinem tam proximã quam haberet res, quæ duraret duratione horaria.

Obiicitur secundo, eo ipso quo intelligatur res actu coexistere tempori, intelligitur durare; ergo coexistentia actualis est duratio eius.

Respondeo, negando consequentiam, quia id non provenit ex eo, quod coexistentia illa sit duratio eius, sed ex eo quod necessario præsupponatur duratio ad illã coexistentiam. Sicut ergo non posset intelligi quod subiectũ reciperet actu calorem verbi gratia, quin intelligeretur existere, non quod receptio caloris esset existentia, sed quod præsupponeret existentia, ita in proposito. Ex his patet quod male explicetur duratio esse illud, à quo res habet formaliter esse nunc, vel tunc actus, sed potius dicendum est quod sit illud, à quo haberet res quod possit tanto vel tanto tẽpore existere, comprehendendo sub nomine temporis non solum partem diuisibilem eius, sed etiam instans indiuisibile.

CONCLUSIO II.

2. Duratio si consideretur in coexistentia relatiua actuali ad tempus, esset quid successiuum: & idem dicendum est, si esset aliquis modus, aut forma distincta à re durante, & actione, seu conseruatione eius, loquendo etiam de duratione tẽporaria rei permanentis. Est conformis Scoti supras.

Probat: prima pars: quia coexistentia quæ coexisteret vni parti temporis, non esset illa, quæ coexisteret alteri parti, nec illæ duæ coexistentiæ posset esse simul: ergo coexistentia totalis, quæ coexisteret toti isti tẽpori esset quid successiuum. Consequentia patet, quia illud est successiuum, quod constat partibus nõ potentibus simul existere. Probat: antecedens quoad primam partem: quia quod est essentialiter determinatio ad vnũ, nõ est essentialiter determinatio ad alterum, quod nõ potest esse simul cū illo vno, alius esset, & nõ esset essentialiter determinatio ad illud alterum; sed partes temporis, vt tales, non possunt esse simul: ergo quod est essentialiter determinatio ad vnã partem, nõ est essentialiter determinatio ad alteram partem; sed coexistentia rei ad tempus est essentialiter determinatio ipsius ad tẽpus: ergo &c. Probat: antecedens quoad secundã partem, quia coexistentiæ partiales ad aliquã nõ possunt esse simul, nisi illa possint esse simul: ergo cū partes tẽporis nequeant esse simul, coexistentiæ partiales rei ad illas nõ possunt esse simul.

Confirmatur: quia istæ coexistentiæ sunt relationes, sed relationes multiplicatur ad multiplicationem terminorum, qui possunt esse sine se inuicem, & nequeunt simul existere nisi termini simul existant, aut possint existere.

6. Probat: secundã partem: quia non posset illud, à quo haberet durare alia media hora sequenti, ergo deberet illud, à quo duraret integra hora, esse quid successiuum. Probat: sequela a precedenti: quia illud, à quo duraret prima media hora, non deberet necessario existere pro secunda: ergo esset indifferens, vt existeret v. l. nõ exist. ret pro secunda media hora: ergo vltius, vt existeret pro secunda deberet superaddi ipsi aliquid quo determinetur ad existendum pro secunda illa media hora: quemadmodum enim